

POMPONI

MELAE DE SITV ORBIS
PROOEMIUM.



ORBIS SITVM DICERE aggredior, impeditum opus, et facundiae minime capax (Constat enim fere ex gentium locorumq; nominibus, et eorum perplexo satis ordine, quem persequi longa est magis, quam benigna materia) Verum aspici tamen, cognoscique dignissimum: et quod si non opere ingenij orantis, at ipsa sui contemplatione precium operae attendentium absoluat. Dicam autem alia plura et exactius. Nunc autem ut quaeque erunt clarissima, et strictim. Ac primo quidem quae sit forma totius, quae maxime partes, quo singulae modo sint, utque habitentur expediam. Deinde rursus oras omnium et littora, ut intrae extraeque sunt, atque ut ea subit ac circumluit pelagus, additis quae in natura regionum, incolarumque memoranda sunt. Id quo facilius sciri possit atque accipi, paulo altius summa repetetur.